

B. B. B. 297  
h. 57 B.

II R  
684

AD  
LEG. *actus* 9. D. AD LEG. RHOD.  
DE IACTV  
QVAEDAM PRAEFATVS

---

DOMINO  
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE  
CHRISTIANO EHRENREICH  
HAINEMANNO,  
ICTO,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS AC ELECTORIS  
SAXONIAE, IN DISTRICTV PVLSNICENSI INSPECTORI  
RERVM ACCISATICARVM GENERALI  
QVAM MERITISSIMO

DE MVNERE  
COMMISSARII ACCISAE GENERALIS

PER  
MARCHIONATVM INFERIORIS LVSATIAE

REGIA GRATIA CLEMENTISSIME EI DEMANDATO.

OMNI QVA PAR EST  
OBSERVANTIA GRATVLATVR  
AMICVS

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
HALLE  
(S.A.L.)

BIBLIOTHECA  
POWICKAVIANA

IOANNES FRIDERICVS Klossch,  
ADVOCATVS IMMATICVLATVS ET PRAEFECTVRAE  
STOLPENENSIS ACTVARIVS IVRATVS.

---

FREIBERGAE,  
TYPIS MATTHAEANIS.

AD  
LEG. ...  
DE ...  
...

DOMINO  
MEMORABILISSIMO ALEXANDRO  
BOGNERMANN  
CHRISTIANO ERICH  
HALLMANN

1810  
POTESTATE ROMANARUM AC SACRORUM  
SACR. ...  
...

DE ...  
COMMISSARIUS ...

...

...

...

...





**M**irifice se torquent auctorum classicorum et iurium civilium glossographi in enodandis eorum apicibus, conciliandisque variantibus, uti vocant, lectionibus. Nugas tamen saepe numero pro mercibus venditant. Non sine risu intuemur opera eorum, multis sudoribus confarcinata, quibus tamen non maius lumen accenditur veritati, quam lampade soli. Dilacerant nempe leges, ut sensus earum clarior reddatur, et augent interpretationes, per interpretationem iterum enodandas, cum tamen verba legis, cum grano salis perpenſa, interpretationibus istius modi sint explicatiora. In ius vocant manuscripta, non omnibus exceptionibus maiora, et cumulant lectiones, naturae rei minime conuenientes, sed tricarum apinarumque plenas, adeptis tamen laetiores, quum arcanum illud cerebrinum inuenisse sibi persuadeant. Multis laboribus superſedere potuerint Glossatores, vel potius nugatores, si antiquitatum romanarum scientia magis fuerint imbuti. Ex harum autem negligentia eos etiam fugit notitia, apud romanos curis seruorum plerumque fuisse relictum opus conſcribendorum librorum, ex quibus domini quaestum habebant, adeo, ut, si *Laurentio Pignorio in libro de seruis, eorumque apud veteres ministeriis, et Tito Popma in tractatu de operis seruorum fides habenda*, romanos bibliothecas seruorum habuisse constet, ex quibus unus Homerus, alter Hesiodus, prout hoc vel illo libro transcribendo negotia dabant, fuerit appellatus. Quid inde? Nihil veritati magis consentaneum, quam, ex incuria et inscitia describentium, manuscriptis etiam se insinuisse mendas atque errores, qui crucem nunc doctoribus afferunt. Non igitur plane adſtipulor CAROLO LAB-  
BAEO

BAEO in Praefatione ad observationes et emendationes in libros Βασιλικῶν, emendationes ex manuscriptis sequentem in modum defendenti: *Constat igitur sententia veterum, quod Cassiodorus ex senatore Abbas coenobii Rauennatensis factus olim dixit: istud genus emendationis, ut arbitrator, valde pulcherrimum est, et doctissimorum hominum negotium gloriosum. Nec solos veteres sic existimasse, verissimum est, recentes namque doctores in ipsa barbarie idem sensisse, summamque fiduciam in libris MSS. et veteribus habuisse, unicuique manifestum est. Quis siquidem ignorat, Bartolum, tradente sibi inuicem posteritate, cum esset ei cum Perusino Baldo magna de re contentio, et de cuiusdam capituli scriptura dubitaretur, Pisas misisse, ut Etruscae pandectae verae vetustatis et fidei spectatae libri consulerentur. Quis nescit, Accursium in glossis harum pandectarum lectiones saepe retulisse? Si in tanta scientiarum caligine Accursius, Bartolus et alii, hanc veram opinionem seruauerunt, quid in hac luce litterarum sibi volunt isti nebulones Φαρολοίδογοι ἰαμβοΦαγοι, dum ea oppugnant, lucemque hanc obumbrare conantur? Facebant igitur haec Arcadiae pecuaria, et recedere desinant, cumque illis displiceant fontes unda purissimi, caenosos rinulos bibant.*

Pari conatu, licet feliciori successu, explicationem L. 9. D. ad Leg. Rhod. de Iactu aggressi sunt viri, de iurisprudentia nostra meritissimi. Quamobrem uti de ea aliqua ex parte differere etiam institui, integra e Digestis apponam textus verba:

VOLVSIVS MAECIANVS ex lege Rhodia.

Ἀξίωσις Εὐδαίμονος, Νικομηδείας πρὸς Ἀντωνίων Βασιλέα. Κύριε Βασιλεῦ Ἀντωνίε, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, δημοπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τοῖς Κυκλάδαις ἡσθεσ οἰκόντων. Ἀντωνίος εἶπεν Εὐδαίμονι. Ἐγὼ μὲν τῷ κόσμῳ κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ροδίων κρινέω τῷ ἰαυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶ ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιῆται, τῆτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θεοτάτος Ἄνγκτος ἐκρηεν.

Id est:

Deprecatio Eudaemonis Nicomediensis ad Antoninum Imperatorem.

Domine Imperator Antonine, naufragium facientes in Italia, direpti sumus a Publicanis Cycladas insulas habitantibus. Respondit Antoninus Eudaemoni: Ego quidem mundi dominus, lex autem maris; lege id Rhodia, quae de rebus nau-

vici

*icis praescripta est, indicetur, quatenus nulla nostrarum legum adversetur. Hoc idem diuus quoque Augustus iudicauit.*

Mens mihi non est, legem isthanc commentario illustrare, et operi manus admouere, cui imparem omnino me sentio. Iam dudum huic labori operam dederunt praeter plerosque ad Digesta commentatores IACOBVS GOTHOFREDVS in tractatu de dominio maris ad leg. 9. D. ad leg. Rhod. de Iactu, IULIVS PACIVS, HVGO GROTIVS, MARTINVS SCHOCKIVS, et, qui hos excipit, IACOBI ANDREAE CRVSI in leg. ἀξιωματικῆς g. D. ad leg. Rhod. de Iactu. commentarius, qui extat in Opusculis variis, Mindae 1668. editis, quorum tamen optimus est CORNELII A BYNKERSHOECK, qui prope rem attigit, in libro singulari ad hanc legem scripto, et qui ipsissima verba legis multo acumine defendit. Recentior quidem extitit tractatus PETRI VAN DER SCHELDE in Diatriba de lege Rhodia de Iactu, sed rem impari antecessorum suorum solertia aggressus est. Meditationes tantummodo quasdam iudicis aliorum relinquam, quae ex praeliminaribus originem traxerunt.

Et quidem reprehendi semper interpretationem verbi ἀξιωματικῆς, quippe quod perverso admodum sensu in latino idiomate per deprecationem vertitur. Deprecatio enim satis indicat, peccasse aliquem, et, ut sibi ignoscatur, petere. Sed, quid peccauit Eudaemon in praesenti casu, in deprecatione fuerit opus? Nil peccauit, sed tantum recenset Antonino Imperatori infortunium, quod nauigantibus in mari obuenerat, quodque direpti fuerint a publicanis, Cycladas insulas habitantibus, postulans proinde, (licet omissa sit in textu petitio,) ut imperator opem ferat, seu rem decidat. Nullum igitur delictum Eudaemonis, nulla unius criminis mentio vel accusatio. Quid igitur sentiendum? Vocabulum ἀξιωματικῆς, uti testantur Lexicographi, nusquam deprecationem denorat, quippe quae per verbum ἀξίωσις, exprimitur, sed tantum pro postulato sive petitione reperitur. Maximum igitur argumentum scribentem litterarum expertem, ansam praebuisse errori, qui bilem Criticorum maximopere mouere possit.

Maiori enucleatione indigent sequentia legis verba:

Ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διηπάγημεν ὑπὸ δημοσίων τῶν τῶν Κυκλάδας νήσων ὀκέντων.

Naufragium in Italia facientes, direpti sumus a publicanis Cyclados insulas habitantibus.

parado-

paradoxon sane indicantia; quomodo dici possit, naufragium fecisse in Italia, cum naufragia non in terra, sed mari contingant? Et quomodo naufragi diripi potuerint a publicanis, Cycladas insulas habitantibus? Quoad prius responsio in promptu est: Italiam hic non accipi pro terra continente, sed mari Italico, i. e. illa maris parte, quae Italiam alluit, ut adeo sensus sit: Naufragium facientes in Italico mari, &c. quae tamen interpretatio neminem mouet. Quoad posterius nodus gordius solutu erit difficilior. Licet enim Italiam pro mari eam alluente capiamus, nondum tamen expedita res est. Italia nempe toto coelo distat ab insulis Cycladibus, adeo, ut prope Italiam naufragium faciens iter trecentorum fere germanicorum milliarium conficere in mari, necessum haberet, priusquam Italiam attingeret. Vix igitur apparet, unde haec conciliari possint, quia impossibile plane est, eum, qui naufragium in Italia patitur, tot parasangarum iter facere posse, ut in Cycladas incideret. Siue enim ab Africo vento excitatae fuerint illae tempestates, siue alio quocunque modo, impossibile tamen semper fuisset Eudaemoni, illuc pertingere, quod ex mappis geographicis ad oculum usque demonstrari potest.

Hanc ipsam impossibilitatem atque inconuenientiam procul dubio animaduertit ACCURSIVS, sed in Scyllam incidit, quum euitare voluit Charybdin, quum Cycladas pro Italiae insulis, contra omnem geographiae analogiam, venditare non dubitauit *in not. ad b. l. ut L. SALMASIVS, de modo usurarum Cap. IV.* legendum putat, *περὶ χαλίας* scilicet *χώρα*, in maritima ora seu littore, sed ipse tantum putat, minimeque persuadet. Propius rem attingit HVGO GROTIUS *in Flor. Spars. ad Dig. b. l.* et pro Italia *ἐν τῇ Ἰταλίᾳ*, siue mare Icaricum, ab Icaro Daedali filio sic appellatum, legendum putat, quomodo pridem iam emendauerat IACOBVS GOTHOFREDVS *ad b. l.*

Sed, si dicendum, quid res sit, asserere non vereor cum PETITO *Libro III. Miscell. c. II.* in allegato textu pro *ἐν τῇ Ἰταλίᾳ* legendum esse: *ἐν τῇ Τηλίᾳ*, scilicet *Θαλάσση*, in mari Telio seu Aegeo, quod circa Telium intulam fluit, ut adeo sensus legis sit: naufragium facientes in Telio mari, direpti sumus a publicanis, Cycladas insulas habitantibus. *Ad WISSENBACH in exercit. ad Dig. XXVIII. 2. §. 16.* Huius rei ratio hac est: In mari Aegeo, quod recentioribus Archipelagus vocatur,

tur, complures firae sunt insulae, quae differentiae causae in Cyclades diuiduntur et Sporades. IOH. LVDOV. GOTHOFREDVS, *Archont. Cosm. Libr. I. p. 677. no. 46. de insulis maris Aegei.* Cyclades sunt, quae non longe ab se inuicem distitae velut orbem seu coronam, κύκλοι, conficiunt, et propter excellentiam simpliciter apud veteres insularum nomine veniunt in l. 6. c. de nauicular. add. nou. 41. 50. § 163. Harum caput erat Rhodus. Rhodiorum vero, populi nautici sec. EVSEB. *Chron. no. 1100.* laudes praeter STRABONEM in *Geogr. L. XVI. p. 448,* legas apud CICERONEM *pro lege Manil. cap. XXVIII.* Sporades insulae erant, quae hinc inde sparsae per mare Aegeum versus Cretam Asiamque, sine ordine, hinc Sporades seu Sparsae dicebantur. Iam si Geographos consulamus, offert se quaedam inter Sporades insula, cuius nomen TELOS, graece τῆλος, est. STRABO *Geogr. L. X. p. 366.* OERTEL *Ihes. Geogr. vocab. Telos τῆλος.* Ab hoc descendit τήλιος, ἰα, ον, ad Telum insulam pertinens, proinde etiam mare illam alluens atque circumdans, Telium vocabitur. Quod autem sub vocabulo τῆ τηλία subintelligatur θαλάσση, tota monstrat connexio textus, quum naufragium non in terra, sed mari contingat.

Sensus hinc oritur textui ceteris omnibus accommodator:

Ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ τηλία (θαλάσση) διεπράγημεν &c.

*Naufragium facientes in Telio (mari) direpti sumus &c.*

ut adeo difficultate hac in parte non amplius prematur textus, cum etiam Cyclades et Sporades, maxime sibi sint confines, ut saepius uno eodemque vocabulo exprimantur. Nec mirum est, talem deprauationem se insinuasse textui, si modo antiquam scribendi morem recolamus, de quo constat: Iota, quod hodie subscriptum vocatur, quondam puncto non notatum sed integrum Iota in fine annexum fuisse, hoc modo: ἐν τῇ τηλια, quod imperitus quidam describens, procul dubio diuulsit, atque τὸ Iota (notam datiui casus) sequenti vocabulo per ignorantiam praefixit, sicque pro τῇ τηλία: τῇ Ἰταλία supposuit.

Medita-

QK  
TK  
684  
(2225346)

**M**editanti haec, Domine, amicorum charissime, ad  
aures meas perterebatur, fortunam tuam, au-  
spicato admodum nouam fuisse adeptam felicitatem.  
Clementissimus enim Rex noster tibi munus Commis-  
sarii generalis rerum accisaticarum per Marchionatum  
Lusatiae inferioris, demandauit. Tu ex intimis mihi  
semper fuisti. Moerorem et laetitiam animi, uti mecum  
Tu, ita ego etiam tecum communicauit. Quid inde? Non-  
ne etiam Tibi, cum laetitia effusa, labores meos, in illo  
fausto temporis puncto ad finem perductos, dedicarem,  
quod horis subsceuiis, absentia tua viduus, confeceram?  
Omnino. Tecum enim communia fuerunt omnia et  
manebunt. Moris erat apud veteres, diebus festiuis  
patronis atque amicis Xenia offerre. Hocce tempus  
candidissimo calculo notandum Tibi festiuum, imo sa-  
crum esto. Tendis enim post tot ambages, post tot dis-  
crimina rerum, in requiem animi, uti Aeneas in Lati-  
um. Accipe igitur hocce munusculum, quod Tibi offert  
amicus, non pauper votis. Deus optimus maximus  
coronet opus, sub auspiciis suis inchoatum. Benedicat  
omnibus actionibus, nomine suo confectis et conficien-  
dis. Repleat animum laetitia, secundet facta prosperi-  
tate, geminet bona et familiam, omnibusque addat co-  
lophonem. Si quid melius aut maius sit, quod peti de-  
buisset persuasum, Tibi habeas, nil boni Tibi accidere  
posse, quod, Deum petitis meis respondere, non ex-  
optarem. Vale, et in posterum etiam mihi fave,  
Dabam Stolpenae, XIII. Calendar. Nouembris,


A. R. S. c. 1333.

-stibM

SE \* 33

ME





B. N. H. 297  
h. 57 13.

AD  
LEG. *de iure* 9. D. AD LEG. RHOD.  
DE IACTV  
QVAEDAM PRAEFATVS

II R  
684

DOMINO  
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE  
CHRISTIANO EHRENREICH  
HAINEMANNO,

ICTO,  
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS AC ELECTORIS  
SAXONIAE, IN DISTRICTV PVLNICENSI INSPECTORI  
RERVM ACCISATICARVM GENERALI  
QVAM MERITISSIMO

DE MVNERE  
COMMISSARII ACCISAE GENERALIS

PER  
MARCHIONATVM INFERIORIS LVSATIAE  
REGIA GRATIA CLEMENTISSIME EI DEMANDATO.

OMNI QVA PAR EST  
OBSERVANTIA GRATVLATVR  
AMICVS  
IOANNES FRIDERICVS Klossch,  
ADVOCATVS IMMATICVLATVS ET PRAEFECTVRAE  
STOLPENENSIS ACTVARIVS IVRATVS.



FREIBERGAE,  
TYPIS MATTHAEANIS.